



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 60. Cardinalis de Billy Instructio Pastoralis contra horum Præsulum
ausus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII.
A. C. 1722.

§. LX.

*Cardinalis de Bissy Instructio Po-
storalis contra horum Præs-
ulum ausus.*

*Dorsann.
Journ. t. 2.
pag. 135.*

Ut igitur Pontificiæ Constitutioni quam septem hi Episcopi depu- mere nitebantur, vindicaretur auctoritas, Cardinalis de Bissy die decima septima Junii Pastoralem edidit Instructionem, in cujus prima parte præcipuas hæc quinque veritates stabilivit. I. Laudatam Constitutionem esse Canonice, atque in omnibus articulis orthodoxam. II. Eam nec æquivocam nec ambiguam esse. III. Certissimum esse Universalis Ecclesiæ iudicium. IV. Illud esse dogmaticum. V. Quemvis sub gravissimis censuris obstrictum esse, ut eidem corde & animo subscribat. In altera ejusdem Instructionis parte Cardinalis demonstratum ibat, quod præter summum Pontificem, atque Episcopos nemini iudicare, atque in prima instantia declarandi jus competat, utrum aliqua decisio vel non sit ab Ecclesia; minus ejusmodi jus Parliamentis, prout perperam tamen prætenditur, conveniat. id enim omnino ridiculum fore & manifestas involvere contradictiones, de-

Sæc. XVIII.
A. C. 1722.

monstratum erat in supradicta Instru-
ctione. Inuper idem Cardinalis duos
justæ molis libros edidit, quibus præ-
fatam Constitutionem illustravit; Vix
hæc instructio Mense Septembri publi-
cam aspexerat lucem, cum illico ea
apud Regium Procuratorem Mense No-
vembri ab Appellantibus denuntiaretur;
querebantur enim, I. Pontificias
litteras, quæ incipiunt, *Pastoralis Officii*,
in ea honorifice allegari, cum tamen
illæ a Parliamentis tanquam *abusivæ*
fussent suppressæ. II. In calce hujus
Instructionis referri Præsulum extero-
rum literas, in quibus tamen plura in
favorem infallibilitatis Pontificiæ, &
superioritatis supra Concilia contine-
rentur. III. Parlamenti modificatio-
nes vocari *existimatas limitationes & re-
strictiones*. IV. Stabiliri hanc doctri-
nam, scilicet, Dogmaticas Pontificum
Bullas nec a Rege, nec ab ejus Mini-
stris, antequam in Regno promulgen-
tur, examinari posse. Igitur Regii ju-
ris Cognitores in supremi Præsidis ædi-
bus conveniunt, tam Instructionem,
quam denuntiationis literas examina-
turi. Referunt, plura in instructione
contineri, libertatibus Gallicanis ad-
versa, & præcipue in ea Regi ejusque
Ministris de nullitate matrimoniorum
cognoscendi facultatem denegari: Ve-

Sæc. XVIII. rum Armenonvilleus Regii Sigilli Co-
 A. C. 1722. stros opponebat, Cardinalis doctrinam

Regni legibus non esse contrariam
 Cardinalis quoque Du Bois violentis
 Cognitorum motus indignatus, exclamabat: *Ergone vos ad quatuor Parisiæ Urbis angulos & per totum Regnum flammam subicere molimini.* Ad hos clamores expergefactus Aurelianensis Dux rem tanti momenti, ajebat, maturiore consilio esse expendendam, ac potius pacem in Ecclesia esse fovendam, quam tamen præceps Parlamenti decretum everteret, proin servandum esse silentium. His tamen monitis Cognitores haud mitiores facti respondebant, pacem ipsa hac Cardinalis instructione turbari; Paulopost alia prodibat denuntiatio, quam sub *Consultationis* nomine a quodam Advocato Burdigalensi factam fuisse fingebant: Famoso hoc bello freti Pucellus & Menguius, apud Præsidem importunius instabant, ut Cardinalis Instructionem publico decreto supprimi curaret: Horum tamen intemperiem coercebat Aurelianensis Dux, minitatus, eos carceri mandandos esse, ni subito quiescerent: nihilominus Præsides Duci exponebant se fidelitate Regi debita, Zelo erga libertates Ecclesiæ Gallicanæ, & proprii honoris lege prohiberi, ut

silentium servarent, proin se a Cardi-^{Sæc. XVIII.}
 nale poenas iudicio profecuturos, si que A. C. 1722.
 in carceres ire juberentur, obtempera-
 turos quidem, posteris tamen, imo &
 universo Orbi declaratuos, quod ex
 Regis mandato Gallici Episcopi, qui
 Regni jura violavit, instructionem dam-
 nare prohibiti fuissent. Demum vero
 post acres utrinque concertationes Dux
 Regis Cognitoribus significabat, Re-
 gem velle, ut Parlamentum ab hujus
 causæ iudicio abstineret, utpote quam
 Rex ad Regium suum Senatuum evo-
 casset. Enimvero Rex ad Cardinalis
 Bissy preces nominabat quatuor Com-
 missarios, duos Ecclesiasticos & totidem
 Laicos, nempe Rohanium Cardinalem,
 Martinum de Ratabon Episcopum Vi-
 variensem, Armenonvilleum, & Pel-
 letierum Defforts. Hi rem maturius
 ponderaturi, in Rohanii Palatio con-
 venerant, ac demum tam Instructione
 quam denuntiatione exactius discussa
 Regi declararunt, quod illa nequaquam
 Regni legibus, aut Ecclesiæ Gallicanæ
 libertatibus sit contraria, hæc autem
 æque ac Consultatio nil nisi falsitates,
 calumnias atque imposturas contineat:
 Eapropter Rex die vigesima tertia Maij
 edictum promulgabat, quo declaratum,
 quod Bissyus Cardinalis in sua Instru-
 ctione doctrinas Regni juribus & Ec-
 clesiæ

Sæc. XVIII. clesix libertatibus oppido consonas am-
A. C. 1722. plectatur, denuntiatio vero & Conlu-
 tatio sint libelli famosi, calumniis, falsis-
 que declamationibus scatentes, temerari-
 scandolosi, Cardinali Bissy, sacre Sedi &
 Ordini Episcopali injuriosi, seditiosi, ad
 rebellionem tendentes, bonisque moribus
 contrarii. Huic decreto Parlamento
 Senatores omni non contentione modo
 sed violenta etiam audacia repugnabant,
 ast vanæ erant & sine viribus illu-
 rum iræ.

§. LXI.

*Eadem hæc Instructio circa Pontifi-
 cum decreta ab ipsomet hoc Car-
 dinale vindicata.*

*Instruct.
 Past. Card.
 de Bissy
 pag. 292.
 Van - Espen
 de Prom.
 Part. III.
 c. I. §. I.*

Inter alia, quibus Quesnelistæ Card-
 nalis Bissy Instructionem impugna-
 verant, magis bilem huic Eminentis-
 simo moverat, quod hi ad evertendam
 Pontificiarum Constitutionum ac de-
 cretorum auctoritatem opponere aut
 essent doctrinam Zegeri Bernardi Van-
 Espen, qui in suo tractatu de Promul-
 gatione legum Ecclesiasticarum docuit
 quod decreta quædam, quia nullum fidei
 dogma, tanquam a Deo revelatum propo-
 nunt aut definiunt, proprie dici non possunt
 decreta dogmatica seu decreta fidei nulli mu-
 tationi aut varietati obnoxia, sed inter de-
 creta